

**Tentamen medicum inaugurale, de scirrho et carcinomate ... / Eruditorum  
examini subjicit Franciscus Hopkins, Hibernus.**

**Contributors**

Hopkins, Francis.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1777.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jxrq9xj6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

4

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE  
SCIRRHO ET CARCINOMATE.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS HOPKINS,

HIBERNUS.

Et in Col. SS. Et Indiv. Trin. Juxta Dub. A. B.

Soc. Phys. Chir. Med. Edin. Soc. Honor.

Disce, docendus adhuc quae censet amicus : Ut si  
Caecus iter monstrare velit. HOR.

Ad diem 12. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

---

M, DCC, LXXVII,



TESTAMEN MEDICUM

IN AUGURAE

DE

SCIRIHO ET CARCINOMATE

QUOD

ANNUNTIE SUMMO NUMINE

EX APOSTOLICE REVERENDI PATRIS

D. GULLIELMO ROBERTSON S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI

RECITARI

AMPLISSIMO SENATUS ACADEMICI

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

PRAGAE DOCTORIS

FRANCISCI HORTII

ET PRAGAE

PROFESSORIS

FRANCISCI HORTII

PRAGAE

ET SOCIETATIS REGIAE

ACADEMIAE SCIENTIARUM

PRAGAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE

PRAGAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE

PRAGAE

Patri suo carissimo,

FRANCISCO HOPKINS,

ARMIGERO;

Propter summam curam et fedulitatem,

Quibus a pueritia

Ad hunc usque diem,

Ejus eruditioni commodisque

Consuluit,

Summo semper honore colendo;

Nec non,

Patruo suo optimo

Et amantissimo,

GULIELMO HOPKINS,

ARMIGERO;

Ob beneficia quamplurima,

Veraeque amicitiae testimonia,

Ei jugiter

Animo admodum benigne

Collata.



Tametsi

FRANCISCO HORTENSIO

ARMIGERO

Proprietarium

Quibus

Ad hanc

In

Calabria

Sanctissimo

Nec

Patri

Et

GUILIELMO HORTENSIO

ARMIGERO

Op

Venerabilis

In

Anno

Colonia

Reverendo etiam

JOHANNI O'CONNOR, D. D.

HYBLÆ,

In Dublinensi comitatu,

Degenti,

Praeclaro nuper

In Collegio Dublinensi

Socio,

Et in eo ejus quondam

Praeceptor

Egregio atque fidelissimo ;

Viro,

Omnibus ingenii dotibus,

Maxima morum comitate et suavitate,

Optimis denique virtutibus,

Ornato ;

Has laborum primitias,

Qualescunque sunt,

Sacras esse

Voluit

FRANCISCUS HOPKINS.



Revelando etiam

JOHANNI OGDONOR, D.D.

HABET

In Dublinensi comitate

Degenti

Prædicto super

In Collegio Dublinensi

Socio

Et in eorum

Prædictis

per eorumque libellum;

Vixit

Omniaque ingenui hominum

Maxima morum comitate et honestate

Optimis denique virtutibus

Ornato;

Has labores primarias

Quædamque sunt

Sacras esse

Voluit

FRANCISCUS MOPKIN

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# SCIRRHO ET CARCINOMATE.

**S**I attento animo rite perpendamus necessitatem eam, qua genus humanum a prima etiam origine laborarit, morborum remedia et levamen quaerendi, quibus semper fuerunt obnoxii; si spectemus medicinae professores, qui a primis mundi saeculis sese huic studio, non modo sibimet ipsis, sed universae hominum soboli, tam salutari et benefico, unice dediderunt; si denique constet experientia, quantumvis prima hujus artis tentamina, caeterarum artium instar, imperfecta fatis et inaccurata fuere, tamen sensim melius excultam fuisse, apud recentiores praesertim, jamque professorum industria, hac nostra  
aetate,



actate, in tantam perfectionem excrevisse, ut ultimo labente saeculo tantus hujus scientiae progressus vix esset sperandus: His, inquam, omnibus attente perpensis, quis non crederet salutiferam hanc scientiam jam ad summum perfectionis cumulum pervenisse, et remedia jam inventa fuisse, quae morbis, quibuscunque natura hominum patet, possint feliciter occurrere?

Nihilominus corporis nostri structura, et singularum partium conformatio tam perplexa, tam densis tenebris involuta reperitur, ut in ejus naturam alte penetrare saepenumero nobis haud concessum sit. Atque hinc oritur rationis nostrae imbecillitas, cum de humani corporis partibus et harum diversis functionibus disceptare velimus. Unde et anatomia et physiologia ulterius excoli ac perfici possunt, quarum accurata et plena notitia, ut omnes consentiunt, fundamentum est praxis rationalis vel dogmaticae. Atque hinc etiam inferre licet, evidente sane ratione, tam pathologiam quam therapeiam eadem semper obscuritate laborare.

In tanta morborum varietate, totque morborum catalogis, nihil fere occurrit, quo hoc nostrum ratiocinium fortius stabiliri videtur, quam hoc canceri morbo, quem hac dissertatione tractandum



andum suscepimus ; et si enim ab Hippocrate aliisque scriptoribus diligenter sit delineatus, nihilominus tamen affirmare auserim, aut nihil aut parum lucis haecenus affuluisse hujusce morbi theoriae, nec quoad ejus naturam, nec quoad tractandi modum.

Inaugurali nostrae disputationi hanc materiem subjiciendam putavimus, haud quidem ea spe, ut huic malo medendo quid certius aut utilius in medium proferre valeamus, quam quod jam compertum est ; sed potius, de natura et causis tam funesti mali disceptantes, ut privato nostro studio et curiositati obtemperemus.

Imperitia nostra, aequae ac angusti limites hujusmodi operibus circumscripti, nos haud sinent altius hanc materiem aut fusius investigare : Quarum utraque causa, si qui irreperint errores, quod in re tam difficili fieri, necesse sit, ut lectores nos excusatos habeant enixe obtestamur.

## H I S T O R I A M O R B I.

Partes corporis huic morbo magis obnoxiae sunt glandulae, quarum nomine intelliguntur cor-

B

pora



pora ita constructa, ut vim habeant transmutandi, et postea ab massa sanguinis fecernendi, varia et diversae naturae fluida, quae huic immixta reperiuntur, et quae, post secretionem, vel penitus a systemate eliminantur, vel iterum in systema relabuntur: Cujus generis sunt urina, bilis, cum caeteris quamplurimis.

Quandoquidem internae haud minus quam externae corporis partes glandulis sint oblitae, sequitur hinc, has etiam in eosdem morbos esse proclives. Quapropter, enumeratis phaenomenis, quatenus haec sensibus externis sunt obvia, nonnulla deinceps signa recensebimus in medio posita, quibus liceat de praesentia carcinomatis, quatenus interne lateat, verisimili saltem ratione judicare.

Hic morbus praecipue infestat oculos, nares, labia, feminarum mammas et axillas, quasdam inguinum partes, testes, penem, &c. et eas denique partes ubicunque glandulis maxime scatent. In his aliisque partibus visui et tactui obviis, primo quidam nodulus\*, pisi vel nucis avellanae molem

\* Historia supra tradita, ut lectori erudito manifestum erit, mulierum affectiones mammarum praecipue respicit, quia apud eas crebriores, quam apud viros, tales accidunt.



molem adaequans, percipitur. Hujus figura subrotunda; motu quodam orbiculari supra eas quas obfidet partes circumvolvitur, vel potius partes ipsae circa moleculae superficiem undiquaque moveri sentiuntur; duritiem firmam et quasi corneam plerumque obtinens, nullum fere doloris sensum excitat: Et haec moleculae conditio per menses saepe et annos, interdum etiam usque ad obitum, durare observatur; saepius tamen accidit ut aliter res eveniat. Sine dolore molis magnitudo augetur; vix autem quid incommodi aeger a scirrho patitur, ni caeteroquin sanitas laesa fuerit, donec paulatim, mole multum adaucta, vasa, nervi, et glandulae vicinae comprimuntur, unde non solum induratae partibus functiones laeduntur, sed, aliis quoque partibus laesis, et a scirrho compressis, hae quoque in officiis suis impediuntur. Hoc modo primum suum stadium percurrit hic morbus\*.

Carcinoma futurum antevenit pruritus quidam sensus, cum levi dolore in parte affecta, cui succedit calor, et aliqua quasi puncta circa locum sentiuntur, cum doloribus certis intervallis redeuntibus.

\* In tria enim stadia, scirrhum scilicet, carcinoma latens, et carcinoma apertum, vulgo dividitur tota affectio.



bus. Tandem tumor crescens colorem rubicundum ac nitentem induit; et quo magis hic tumor inturgescit, eo magis cutis tenditur.

Jamque omnia ingravescent symptomata: Dolores, qui prius lenes et moderati fuerunt, fiunt indices acerbiores, et diutius commorantur, et nunc pungentes, fodientes, pulsantes, acres, urentes, et, sub finem, fere intolerandi evadunt. Color partis morbidæ primum non multum variatur; mox vero rubicundus, lividus, vel etiam nigrescens fit. Varicibus similes venae circumpositae tumescunt, rigescunt, et livefcunt: Circa tumentem partem quamplurimum inflantur, et quasi recurvatae apparent.

Supra vel juxta primariam intumescentiam haud raro minores cernuntur tumores. Glandulae vicinae etiam intumescentes summo dolore excruciantur. Nec noctu, nec interdiu, quiescit aeger propter doloris acerbicatem, qui ferro ardenti, aut serpentis morsui, assimilari potest.

Dum circa partem affectam tegumentum adhuc manet integrum, carcinoma latens vulgo appellatur; cum vero extra cutem se prodit, apertum dicitur: Hinc exoritur tertium et ultimum morbi stadium a misero aegro jamdudum desideratum, qua in re saepe infelix fallitur. Dum hinc  
dolorem



dolorem leniendum sperat, et, per casus similes, hoc certo eventurum judicat, omnia tamen in pejus relabuntur. Velamentum illud, quo scirrhus comprehenditur, et quod a glandulae tunica ortum videtur, nec non supremam cutem exurere et corrodere incipit. Ex ulcere ejicitur humor putridus, et teterrimi odoris, et tunc morbus in verum ac apertum carcinoma convertitur. Ex hoc teterrimo ac omnium foedissimo ulcere effunditur tenuis, cruenti, exedentis copia puris, si tale nomen meretur materies plane venenosa. Hujus virulentae materiae tanta est vis, ut ei obistere, nec ipsa valeant ossa, quod compertum habemus per varia exempla, a clarissimo Monro in suis praelectionibus tradita. Quibuscunque partibus admovetur, omnes corrodit et depraedatur, ut ipsa quandoque linimenta velut ab aqua forti, aut muribus exesa, atque arrosa videantur\*. Pessimus et aliquando vix tolerandus, praesertim non adfuetis, est odor ejus, tamque aegre coercendus, ut ab ipsis sandapilis nonnunquam emittatur †. Vitium ulceris semper latius grassatur, cujus orae vehementer tument, mirumque in modum

\* Heist. Inst. Chir. tom. i. p. 343.

† Gooch. Surg. vol. ii. pag. 129.



dum distortae ac inverfae, nunc pallent, nunc rubescunt, nunc luridum, viridem, lividum, nigrum, vel et variegatum colorem induunt.

Progressu horum symptomatum, quae fatis de se dira videntur, insequitur corporis totius marcor et tabes; interit tam animi quam membrorum solitus vigor; exercitii, sedalitatis, potus cibique appetitus perit. Odorandi † quoque facultas omnino deperditur. Debilis et parvus, sed frequens est pulsus. Somnus, miserorum levamen, aegros fugit, nec sine haustu soporifero conciliari potest. Mortem futuram indicant tumores pedum, animi deliquia, pulsus parvus et intermitiens, palpitationes cordis, sudores frigidi, liquefcentes, et per quasdam solummodo partes diffusi; et hanc calamitosam miseramque scenam diarrhoea communiter absolvit. Subinde autem sanguinis profusio aegrum interimit, cum ex vena, vel arteria morbo corrosa, et latius patente, cum impetu profiliat, nec supprimitur.

Haec symptomata studium nostrum imprimis merentur, quae, pro viribus, in medium proferre jam conati sumus, et quorum rationem ulterius explicare conabimur. Sed, priusquam huic historiae

† Vide Boer. Aphor. 499, et V. Swiet. Com. in eund. Aphorif.



storiae parti finem imponamus, alterius canceri  
 speciei mentionem faciamus; ubi, nullo prae-  
 eunte scirrho, nihilominus carcinoma exoritur.  
 Hoc sub nares, vel circa os, frequentius accidit.  
 Talis affectionis plenam et accuratam tradidit  
 historiam Dominus Hill chirurgus Dunfrisiensis:  
 ‘ There is another species of cancer,’ ait Hill\*,  
 ‘ which never rises above the skin, or thrusts out  
 ‘ any fungus, but eats or consumes the neighbour-  
 ‘ ing parts. At first sight, this may be mistaken  
 ‘ for an herpes exedens. But the herpes is al-  
 ‘ ways composed of a number of spots, and makes  
 ‘ a very rapid progress; whereas, in this species,  
 ‘ there is never more than a single spot; and its  
 ‘ progress is more slow and gradual. It first ap-  
 ‘ pears like a thick scale, which is generally oc-  
 ‘ casioned by too much heat applied to the skin,  
 ‘ as by measles, or some other accident. After  
 ‘ some time, the scale casts off, and leaves the skin  
 ‘ entire, excepting a few small mealy scales which  
 ‘ are left behind. These are succeeded by a thick-  
 ‘ er and larger scale, which, after casting off and  
 ‘ renewing several times, at long intervals, at last  
 ‘ turns into a crusty scab. After this scab comes  
 ‘ off,

\* Cases in Surgery, p. 31.



‘ off, instead of dry mealy scabs as formerly, and  
‘ oozing moisture remains on the skin, which  
‘ soon turns into a flat cancerous ulcer.’

Ad secundam historiae partem jam libet descendere, in qua symptomata nonnulla in medium proferre statuimus, unde de vero cancro interius in corpore latenti facilius et verius judicemus.

Imprimis, observandae sunt, visceris, cui morbus infidet, laesae et depravatae functiones. Si cor laboret, succedunt palpitationes pulsusque inaequalis; et, vitiato ventriculo, ingesta sursum propelluntur; jecur vel pessimam gignit bilem, vel justa hujus secretio impeditur, et pariter, mutatis mutandis, de caeterorum viscerum functionibus laesis differendum videtur. Oppressionis etiam et ponderis sensus circa partem affectam sentitur. Nonnunquam plenitudo, vel etiam tumor, sensibus externis clare percipitur, saepius forsan in hepate quam in aliis visceribus. Deinde fluidorum pravitas notanda est, quae a visceribus morbidis secernuntur, ut urinae, si renes sint morbi sedes. Praeterea, initio morbi, dolores sentiuntur mites, ut in externis affectionibus, mox vero acres, pungentes stimuli partem morbide laborantem obsident. Ubicunque excretiones  
fiunt



fiunt, ut ex alvo, si carcinoma adfit, materies e-  
jecta sanguinolenta, putrida, et odore non feren-  
do. Tumores et virofa ulcera, in aliis partibus,  
in lucem se prodere incipiunt. Anxietas, irre-  
quies, animi deliquia, totius systematis tabes, ali-  
aeque affectiones, iis, quas supra memoravimus,  
conformales, insequuntur. Cum primum haec  
symptomata se prodant, et quo major horum sit  
numerus, eo gravius erit periculum, ne ex car-  
cinomate interno ortum ducant.

Hanc morbi historiam finire jam libet, sympto-  
mata enumerando uteri carcinomatis, quae huic  
proprie conveniunt: Nec aliunde quidem magis  
elegantem et accuratam hujusce rei contexere  
possumus, quam a celeberrimo Hoffmanno, qui  
plerisque, si non omnibus medicinarum systemati-  
cam pertractantibus, hucusque fortasse palmam  
eripuit. Hujusmodi sese habet:

“ Primo, dolor oritur in inguine continuus,  
qui sensim paulatimque totum hypogastrium, ab  
osse pubis ad umbilicum usque, occupat; hunc  
postea sequitur glandularum, circa collum uteri,  
et maxime orificium ejus internum confidentium,  
tumor durus, compressioni renitens, rotundus, in-  
aequalis, qui, si contrectetur, ad aegrae sensum  
dolore pungitivo molestus est. Urina redditur



crassa, confusa, et alvus, ingestis minus respondens, adstricta est. Si inflammatio accedit ulcerosa, crebra ad lipothymias, utut leviores, adest propensio, materia profluit putrida, foetida, et saniosa, flavi et cineritii coloris, cum sanguine mixta, quae adeo acris est, ut non modo uteri membranas arrodant, sed et, ad intestinum rectum descendens, hoc exedat, ut stercora cum fluore uterino prodeant. Ingravescente demum malo, pulsus fit magnus et celer; accedit tabida corporis consumptio, seu atrophia; jungitur febris hectica, et tandem, omnium miseriarum finis, mors\*.

Ex symptomatum enumeratione jam tradita, quae, juxta opinionem summae fidei auctorum, frequentius occurrunt, necnon experientiae nostrae sunt consentanea, magis nunc parati et idonei sumus definitionem proponere, quae scirrhum et carcinoma in unum et conjunctim complectatur.

### C H A R A C T E R.

Partis, plerumque glandulae, tumor durus, initio nec dolens nec suppurans; postea vero, praegressis

\* Hoffmanni opera omnia, tom. iii. pag. 447.



gressis doloribus maximis, in ulcus mali moris abiens ; aliquando autem, nullo primario scirrho antecedente, sub formam ulceris depascentis evadens.

## D I A G N O S I S.

Ad diagnosin tandem progrediamur, seu modum dignoscendi et secernendi hunc morbum a nonnullis aliis morbis consimilis naturae, ut videantur. Et in hac re, si historia superius tradita diligenter perpendatur, parum necesse erit multum aut operae aut temporis consumere. Nihilominus, de uno et altero morbo pauca dicenda sunt, quorum symptomata ad praesentem affectionem videntur propius accedere.

Imprimis morbus est glandularum quaedam affectio usitatissime, sed improprie, appellata ; scrophulam intelligo. Et de hoc quidem morbo observare licet, quod raro puberes aggrediatur, et plerumque colli, aut collo vicinas glandulas, invadat. “ Glandularum conglobatarum, praesertim in collo, tumores ; labium superius et columna nasi tumida ; facies florida, cutis levis, tumidum



dum abdomen \*." Haec sunt signa, ut illustrissimo Culleno videtur, scrophulae supervenientis: Sed in carcinomate, saltem ineunte morbo, affectio est localis. Praeterea, in scrophula tumores haud adeo duri sunt, sicuti in cancro reperiuntur, molles potius ac uvidi videntur, materiae caseo haud ab simili profluente. Nec dolor tam acerbus, nec tam teter odor, in scrophula deprehenditur, ut fit in ulceribus cancrofis; et, ubi ad pubertatem accesserit aeger, illa sanescunt, haec autem omnibus fere medicamentis resistunt. Denique, ad vitium haereditarium scrophula facilius, quam carcinoma, refertur.

Nonnunquam fortasse pro lue venerea haberi potest hic carcinomatis morbus. Sed ab illa facile distinguatur, si ad sequentia attendamus. Quando concubitus impurus in vitio est, oriri solent circa pudenda quaedam ulcuscula; et in inguinum glandulis tumores nascuntur, qui parva mora medicamentis cedunt, in suppurationem vel resolutionem transeunt. Rarissime autem resolutionem subit scirrhus cancrofus, nec unquam suppurationem benignam patitur; sed, ut superius observatum est, pessimis corrosivis qualitatibus praeditus, omnia circum se depascit et adurit. Quando vero a lue venerea totum corporis syste-

ma

\* Cull. Gen. Morb. pag. 367.



ma opprimitur, notatu dignum videtur, totum simul corpus doloribus occupari, et tandem, in tonsillis praecipue, ulcera procreantur; sed in carcinomate aliter se res habet; affectio est localis, initio leves sunt dolores, et sensim cum summa malignitate ad acerbissimos cruciatus perveniunt.

Omnibus innotescit, tumores duros, qui in puerperarum mammis interdum oriuntur, multum doloris et incommodi gignere. Sed hic notandum est, tumores multo majores esse quam in scirrho ad carcinoma tendenti, cum interdum anferis ovum mole adaequant. Si his addere libeat, hujuscemodi inflammationem in suppurationem terminari, unum ab altero morbum parvo negotio secernemus.

Hic quoque alios quosdam tumores meminisse juvaret, quales sunt meliceris, atheroma, steatoma, aliaeque his similes affectiones: Sed hae caeteraeque tumorum species quam plurimae tam late discrepant a carcinomate, ut plus temporis aut operae in hac re conterere prorsus inutile arbitremur. Sed nequaquam hic inficiandum est, hos aliosque tumores, sarcoma praesertim, in carcinoma saepius terminari; quod postquam evenerit, manifeste patet, hos tumores, in medendi  
ratione,



ratione, nullatenus a vero et primario cancro differre.

### RATIO SYMPTOMATUM.

Hac in parte longa et proluxa disquisitione non est opus, cum praecipuorum symptomatum explanationem inter causas transtulimus, cum quibus necessario congruunt, et cum haec dissertationis pars plus curiositatis, quam verae utilitatis, habere videatur.

Caloris localis sensus in parte affecta, a generali causa caloris animalis, in majori quodam gradu adaucta, proficiscitur. Generalis caloris causa a variis auctoribus et ex variis principiis jamdudum explicata est, quarum explanationum pleraeque innumeris patent difficultatibus. Cum ingenioso et vere erudito Doctore Duncan opinamur, caloris animalis causam derivandam esse a phlogisti ex sanguinis massa evolutione, quae sanguiferorum vasorum actionem consequitur.

Hoc posito principio, aequabilis, caeteris paribus, per totam corporis superficiem caloris ratio  
reddi



reddi potest. Partialis etiam caloris, in quacunque parte, eadem causa assignanda est. Hic enim partialis stimuli effectus est; veluti, cum quis erubescit, manifesta sanguinis determinatio ad genas fit, in quibus vasorum actione praeter solitum aucta, calor etiam in eadem ratione augetur. Pari modo, calor augetur in cancro; ubi sanguine nimium accumulato, ut postea, cum de causis differendum erit, fusius demonstrabitur, calorem etiam in eodem gradu augeri necesse est.

Pruritus sensus tumoris auctae moli tribuendus videtur, unde nervi ambientes leniter distenduntur; aut fortasse acrimoniae fluidorum insequenti, unde novo leni stimulo sollicitantur. Hae causae vehementius adauctae doloris acerbiter tandem producunt, qui hanc affectionem semper comitatur.

Glandularum vicinarum intumescencia procul dubio exoritur a materie vasis lymphaticis absorpta, qui a parte affecta per tales transeunt. Hinc opinantur nonnulli radices quosdam a scirrho crevisse, qui solummodo pro lymphaticis induratis haberi deberent.

Ultimum quod hoc loco proponimus symptoma est, venarum, quibus tumor undique circumdatur, turgescens et varicosa species. Hoc raro  
prius



prius contingit quam tumor in molem magno-  
pere excreverit ; unde venarum plurimae com-  
pressae et coarctatae motum sanguinis, per has  
fluentis, impediunt. Hinc, sanguine accumulato,  
turgescunt vasa continentia.

### SEMINIA SEU CAUSÆ PRÆDISPONEN- TES MORBI.

Glandulae arteriales, quae pro sede propria  
scirrhi idiopathici habentur, cum sint terminatio-  
nes, ideoque systematis arterialis partes, caetera-  
rum partium more sunt irritabiles. Nihilomi-  
nus, quia longius a corde distant, et earum struc-  
tura multum implicatur, harum actio, vel nullo  
modo, vel parum admodum, a corde et arteriis  
promovetur. Quare motus glandularum, qui ab  
ipsarum irritabilitate unice proficiscitur, nec ullo  
alio stimulo, nisi fluidis ipsis per glandulas tran-  
seuntibus, sustentatur : Hic, inquam, motus len-  
tior necessario fit, quam in aliis vasculosi systema-  
tis partibus. Nam, licet fieri possit, ut nonnullum  
glandulis arterialibus incitamentum adveniat a  
pulsatione arteriarum, et a vicinorum muscutorum  
contrac-



contractione; tamen hae causae ad motum sustentandum minus sunt in his partibus idoneae, quam in lymphaticis et rubris venis, propter contortam et convolutam istarum partium constructionem.

Hac igitur ratione supponere liceat, quod etiam facto et experientia pro certo habendum videtur, arterialium glandularum motum lentissimum esse, etiamsi in naturali statu et in salutari corporis conditione reperiantur.

Hoc itaque posito, sequitur, si quae causae in systemate forte orientur, quae motum hunc in glandulis plus aequo lentum reddant, et ultra quod earum natura in salubri statu requirat, has causas glandularum conditionem immutare in morbidum feminium; et morbus, cui hoc feminium viam sternit, est scirrhus. Jam in eas causas inquiramus, quae ad feminium istud producendum per se sint idoneae.

Quandoquidem nec cor, nec arteriae agunt in glandulas, vel, si agunt, parum admodum, manifeste liquet, illorum motus diminutionem haud agere posse motum harum minuendo. Quid igitur spectandum est, ut causa ad scirrhum praedisponens? Cum corporis habitum spectemus, ubi hic oritur morbus, quem nec plethoricum



nec inflammatorium, ubi et cordis et arteriarum vis plurimum viget, reperimus, sed potius systematis statum huic contrarium, qui cachecticus nominari potest, quo in statu cordis et arteriarum actio tonusque, ut plerique consentiunt, multum imminuuntur; hoc in casu probabiliter indicandum videtur, hunc tonum imminutum, tam in corde quam in arteriis majoribus manifestum, ad glandulas usque propagari, quae partes sunt arterialis systematis. Atque, congruenter cum priori nostra assertione, glandularum, nempe, motum a cordis et arteriarum motu nequaquam pendere, asserimus generalem systematis tonum imminutum vel deperditum, partis etiam, de qua hic agimus, tonum similiter pravum inferre. Hoc sufficit ut explicare valeamus glandularum statum ad scirrhum praedisponentem.

Haec toni depravatio denotat actionem diminutam, vel statum irritabilitati contra positum, quem torporem dicimus.

Praedispositione igitur ad scirrhum hocce modo stabilita, causas hujusmodi dispositionis haud arduum erit assignare; eae omnes audiunt, quae cerebri actionem et vires laedunt, sive directe, sive indirecte hoc fiat, et uno nomine solent appellari,



lari, potestates nocentes antiphlogisticae, seu sedantes.

Hae ad duo capita revocari possunt, potestates scilicet sedantes, quae ita fiunt vasa nimis exhauriendo et exinaniendo; et eas deinceps potestates, quibus actio et vires cerebri directe laeduntur.

Ad priorem classem spectat jejunium et parvus tenuisque victus, quo nihil aut parum materiae sanguini suppeditatur; unde evenit, ut victus concoctu difficilis, sicut panis furfuraceus sine fermento, caro fumo indurata, et alia similis naturae, ad scirrhum gignendum sint aptissima\*. Huc quoque referri potest immoderata corporis et continuata exercitatio, qua, sublatis justis quietis intervallis, perspiratio ultra modum augetur, et, fluidorum motu nimio aequius accelerato, horum praeter solitum magnum in corpore fit dispendium.

Alterum caput potestatum sedantium, ea complectitur, quae nervosi systematis vires et actionem directe minuunt; et huc referri possunt aliae subdivisiones quamplurimae, quarum prima spectat ad sedantia quae in sensuum organa agunt,

aut

\* Vide Boerh. Aph. 485.



aut ad solitas impressiones minori vi operantes. Hae fiunt potestates directe sedantes, in eo, quod stimulum idoneum sensorio haud instruunt.

Comprehendit etiam hoc directe sedantium caput, immodicum corporis motum, quo nervosum systema debilitatur; atque etiam inertiam, unde minuuntur stimuli, qui a corporis debita exercitatione systemati subministrantur. Hinc religiosae monasteriis inclusae huic morbo, magis quam aliae, sunt obnoxiae: Nam moderata corporis exercitatione, musculari motu simul excitato, sanguinis impetus per totum systema promovetur.

Tertio, huc etiam spectant vehementiores animi affectus seu pathemata, quae, nimium propter stimulum, sedantia fiunt. Quamobrem homines in violentam iram, gaudium, et dolorem proni, saepe etiam in scirrhum sunt proclives. Ad hanc quoque tertiam subdivisionem attinet facultatum animi exercitatio, quae, aut immoderatus adhibita, aut ultra modum remissa, aequae sedans nociva potestas evadat. Ad quam sententiam illustrandam, observare fit satis, quam propensi sint in hoc malum, qui nimio ac perpetuo studio sunt dediti.

Quartum et ultimum directe sedantium caput eas amplectitur potestates, quae aut in ventricu-



lo, aut in tubo intestinali, suos edunt effectus; cui referuntur acida omnia, et quaecunque aciditate sunt praedita; ideoque victus vegetabilis, qui sedans fit, actionem fibrarum ventriculi muscularium, vel minuendo, vel haud quantum par est, excitando.

Haec omnia jam memorata operantur tonum minuendo, et perinde toti systemati torporem inferendo, iis partibus praesertim, quae sine laesione aegre pati atoniam et torporem valent.

Quando scirrhi feminium ex una vel pluribus ex causis supra memoratis, sensim et gradatim operantibus, exordium sumit, necdum hae causae ullum sensibilem effectum gignunt, pro causis praedispositionis habendae sunt; si autem magis repentino et vehementi motu saevire incipiunt, fiunt, quas supra diximus, potestates nocentes antiphlogisticae, sive sedantes, vel causae occasionales sedantes.

### CAUSÆ OCCASIONALES.

Causis superius recensitis addendae sunt hae, quae, extrinsecus advenientes, immediatum et repentinum



pentinum effectum in glandulis producant, et quas causas occasionales hic nuncupamus.

Hae ad duo capitâ generalia referendae videntur; quorum in primo continentur omnes causae, quae modo et motu integre locali agunt; in secundo autem hae, quae, in universum corporis systema suam vim exercentes, in eas praecipue partes agunt, quae structura sua et textura morbidis effectibus minus obsistere queant.

Ad primum harum articulum spectat quaecunque externa vis aut injuria glandulis superveniens: Quales sunt nasi et narium puncturae, labri morsus, in pectore repentini et ictus violenti, atque etiam mammarum nimis arcta constrictio, ut apud feminas accidit, quae pectus thorace nexili nimium coarctant. Fortium liquorum liberior et immoderatus usus, ex omni parte conceditur, huic scirrhi morbo in abdominis visceribus, jecore praesertim, occasionem praebuisset. Foeces quoque constipatae et obduratae, difficilis et tarda partura, in utero tumores et carcinomatis symptomata excitarunt. Quae omnia, ut nobis quidem videtur, mechanice operantur, comprimendo et vasa contrahendo, unde morbidi et pravi sequuntur congestus, qui cancro occasionem praebent.

Causarum



Causarum occasionalium secundum caput eas, quae vi magis universali suas producant effectus, comprehendit. Huc referenda est veri cancerosi viri in corporis systema receptio, cujus funesti effectus in suis operibus nobis tradidit exemplum ingeniosus Dominus Gooch \*. Evacuationes etiam solitae, si supprimantur, in causas occasionales recenseri possunt, cum hinc in fluidorum circuitu debitum tollatur aequilibrium, et in variis systematis partibus sequatur eorundem fluidorum solito major accumulatio. Unde menstrua suppressa, haemorrhoides cohibitae, repentina frigoris applicatio, et violenti irae impetus, propter spasmos in superficiem corporis hinc inductos, et circumfluentium fluidorum aequilibrium sublatum, et similia, secundum auctores summae fidelitatis, scirrhus creando sunt idonea.

Effectus itaque, qui ex his causis occasionalibus exoritur, in corpore, per eas, quas supra explicavimus causas, praedisposito, tertia erit causa, quae proxima nominatur.

## CAUSA

\* Vid. Gooch's surgery, vol. ii. page 131.



## CAUSA PROXIMA.

Ut varias auctorum sententias, adeo inter se discrepantes, de scirrhi causa proxima, referre praetermittamus; nostrum solummodo iudicium hac de re in medium proferemus. Ex phaenomenis in morbi historia jam traditis, et causarum actione remotarum perspecta, ut verisimillimum iudicamus, scirrhi causam proximam esse motum imminutum in alicujus glandulae fluido, qui indies tardior fit, donec fluidi progressus penitus tandem sistatur. Unde fluidum ipsum stagnans vasorum lateribus tenaciter adhaeret, et cum iis concrevit in unam indistinctam massam et materiam inorganicam: Hinc caetera vasa, per hanc partem affectam transeuntia, et nervi ipsi, sua munera obire nequeunt. Quod clare satis explicat glandularum hebetudinem sentiendi in scirrho, etiam stimulis admotis; et earum impenetrabilitatem per medicamenta in vivis, et quod etiam, in mortuis, omnes anatomicorum conatus injiciendi penitus eludant: Quod in omni scirrho confirmato medici norunt contingere.



Sic igitur primo canceri stadio causam fatis probabilem tribuimus. Reliquum nunc est, ut, caetera duo stadia percurrendo, causas eorum proximas assignemus.

Carcinoma tectum est scirrhus in statu simplici inflammationis; cujus proxima causa est eadem quae in caeteris inflammationibus, congestio, nempe, in partis affectae arteriis rubris extremis, quae hae distentae ad majorem motum et actionem excitantur, et tumor ipse, quoad magnitudinem, exinde augetur. Hic status sedem obtinet, non in ipsius scirrhi tumore, quem diximus jam in unam inorganicam massam concrevisse, sed in vasis hujus oras ambientibus, ubi sanguinis liber transitus impeditur, a vasis antea in tumore comprehensis nunc clausis et obstructis.

Hinc, cum spatium, per quod sanguis transit, contractum, eundem habeat effectum, ac si ipsius sanguinis per partem transeuntis quantitas augeretur; signa inflammationis ex hac causa necessario oriuntur.

Et nunc de carcinomate aperto loquamur: Hic scirrhus est in abscessus statu, cujus causa eadem videtur, quae aliorum abscessuum quascunque inflammationes consequentium, solutio, scilicet, continua, sic clarius exponenda. Disten-



tio, quam inflammationem comitari asseruimus, (stadio inflammationis morbi durante) persistans ac crescens vasa rubra, quibus, ut diximus, affectio morbida praecipue insidet, atque etiam his contigua vasa exhalantia paulatim tendit, usque dum materies exhalari solita, sanguinis nempe ferofitas, et serum ipsum, in proximam concavitatem effunditur. Hoc serum quodam sub calore stagnans, ferofitate ejus interim gradatim absorpta, in ea, quae superest, parte, glutine scilicet, convertitur in fluidum illud pus dictum, cujus productionem subsequitur partium ambientium exitium. In abscessibus mitioris naturae hoc partium damnum nova regeneratione compensatur, quod in aliis abscessibus moris pessimi, praesertim vero in canceri malo, vel raro vel nunquam contingit. Ut igitur reliquum causae proximae in hoc morbo persequamur, difficilem nempe abscessus curationem, cui interdum nunquam mederi possumus; hoc, inquam, tribuendum videtur, partim ipsius ulceris conditioni propriae, partim universi systematis generali temperamento et habitui. Quod huic generali temperamento effectus partim tribuendus sit, patet ex medendi difficultate, quae in quotidianis plagis et ulceribus reperitur, quando

do



do corporis habitus aliunde depravatus fit, et ex necessitate hunc habitum emendandi, ut illis facilius medicemur. Hinc chirurgi in univcrsum, ad puris laudabilis, ut loquuntur, formationem, in hoc casu ad corticem Peruvianum confugiunt, qui plerumque secundum gignit effectum, cum cortici imprimis conveniat vis excitandi et tonum systematis roborandi. Et dum de universo systemate hic agitur, etiam partis affectae statum melius explorare valemus, quem atonicum esse satis et plane constat. Nihilominus, praetermissa et universi systematis et partis affectae contemplatione, alia causa nobis se offert canceri tam pertinacis naturae; viz. inflammationis causae diuturna et continuata mora: Nam, persistente scirrho, hujus immediatus effectus, inflammatio scilicet, aequè durat, et, hac durante, suppuratio, ut frequens hujus comes; et partium suppurantium destructio et consumptio, ut etiam pariter persistant et obdurent necesse est.

An his causis subjici etiam possit pravae et virulentae materiae praesentis actio, omnia circumposita exedentis, pro certo affirmare vix ausim. Haec materies, vel ex ipsius habitus pravitate, vel ex continuata et diuturna saevitia ipsius ulceris, oriri potest, unde et ulcus medelam respuit, et  
ipsum



ipsum systema nervosum, modo quidem generali, sed explicatu difficili, laeditur. Hoc igitur iudicio lectorum permisso, hic tantummodo breviter referemus, quod huic opinioni favere videtur.

Quanquam experimenta a clarissimo Gaber tentata dilucide evicerunt, in supra memoratis circumstantiis, effusionem feri suppurationis esse causam necessariam; attamen haud raro cernimus, tametsi haec effusio subsecuta fit, omnibus praedictis concurrentibus, nihilominus aliud fluidum ex alia parte superveniens, aut suppurationem omnino tollere, aut saltem vitiatam reddere. Sic nonnunquam globuli rubri superadditi suppurationem in gangraenae speciem convertunt: In mammarum ulceribus lac, in ulceribus prope ductus biliares bilis ipsa admota, suppurationem aut submovent, aut in maligniorem naturam convertunt: Et, ut supra observatum est, in systemate cachectico, laudabilis loco puris, gignitur materies tenuis, vitiosa, vitiatam suppurationem referens. Ex his inferre liceat, praeter toni defectum seu in toto systemate seu in parte affecta, et praeter effectum a causae suppurantis continuatione orientem, nonnullum malae naturae fluidum et producere et sustentare hunc



hunc cancri statum pertinacem adeo et obdura-  
tum. His omnibus tandem adjici potest, externi  
aëris aditus et impulsus, qui, etiam in partibus  
ipsi raro patentibus, perniciosissimos gignit ef-  
fectus.

### P R O G N O S I S.

Ex iis, quae de natura et causis cancri jam  
diximus, cuicumque lectori prudenti judicare lice-  
bit, spem morbi feliciter terminandi incerto ad-  
modum fundamento niti; et tam medicis quam  
chirurgis cavendum esse, ne prognosin temere in-  
stituant.

Cum vero, ex quibusdam adjectis circumstan-  
tiis, periculum multum varietur, has indicare co-  
nabimur, quae ad quatuor sequentia capita re-  
vocandae sunt, scilicet, periculi gradus aestimari  
debet,

1<sup>mo</sup>, Ex corporis statu, et eo vitae stadio, quo  
morbus primum impetum fecit.

2<sup>do</sup>, Ex primis causis quae malo originem  
praebuerunt.

3<sup>tio</sup>,



3tio, Ex peculiari morbi fede.

4to, Ex ipsius tumoris statu et natura, quantumque in afficiendo universo systemate progressum jam fecerit.

*Primum*, igitur, ex habitu ipsius corporis, et vitae stadio quo morbus aegrum aggreditur, de ejus eventu judicium inferre queamus. Si prius aegrotus morbo laborarit consimilis naturae, sicut scorbuto, scrophula, lue venerea, aut similibus, unde corporis sanitas ac robur infirmiora redduntur, et huic quantumvis levi de causa cancer superveniat; si aeger eo usque aetate sit provectus, ut cordis et arteriarum vires, lege naturae, minuantur, et idcirco malignis hujus morbi aggressibus minus possint obistere quam si robur tonusque corporis magis valerent; hinc funestus et letifer eventus metuendus est.

*Secundo*, Canceri discrimen aestimandum est, ex iis causis unde primum oriebatur. Si quod appellare licet diathesin ad carcinoma proclivem in systemate suspicemur, aut materiae virosae intro-missionem, ut antea in historia monuimus; si corporis status cachecticus, quibuscunque tandem causis exortus, huic malo ortum dederit; hic spes curationis aut medelae parvi est habenda.

*Tertio*,



*Tertio*, Pars consideranda est, quae a cancro occupatur. Si quod viscus vitale et nobilius laborare credatur, ut cor, ventriculus, hepar, uterus, aut partes his finitimae; si quis nervus aut majus vas sanguiferum, aut iisdem conjuncta et contigua premantur; si in superficie deprehendi nequit, sed altius in partibus subjacentibus latet; hoc in casu funestam morbi terminationem unusquisque expectaret.

*Quarto*, Demum statum et progressum tumoris intueamur. Si ab exiguo principio brevi tempore in magnam molem concreverit; si ad fixam duritiem et immobilem statum cito pervenerit, primo absque dolore, sed mox gravissimo cruciatu, quo aeger semper torquetur; si vicinae glandulae intumescant, et tumores circa partes adjacentes appareant, cum vagis doloribus extra partem affectam, unde judicare liceat morbum, ex locali, jam universalem evasisse; si ad haec ulcus apertum subeat, ex quo materies ultra modum graveolens et foetida fecernitur, proxima quaeque corrodens, et exedens; quis hujus aegri casum ancipitem ac periculosum non jure praenunciaret?

Haec sunt circumstantiae magis notandae, quibus prudens medicus in praxi judicium ferat de infauso



infausto morbi exitu, nec unquam infelici aegro cum famae suae dispendio aduletur.

Si vero supra memoratis contraria accidant, in eadem ratione metus noster leniri debet. Si enim tumor in superficie positus, ab omni vitali organo, nervo, ac vase maximi momenti longius distet; si adhuc exiguus, mobilis, et dolore immunis existat, nec ulla judicandi ratio sit materiam in universale corporis systema intromitti ac absorberi; si causae tantummodo locales, quales sunt ictus, arcta in mulierum mammas ligamenta, aut similia, huic morbo ortum praebuerunt; si aeger corporis habitu sit sano, valido, ac robusto, ipse quoque florente aetate; in hoc, inquam, casu secundus et felix eventus potius sperandus est.

Hic tamen observare libet, quantumvis haec fausta symptomata superius enumerata pene omnia concurrunt, hinc radicalem morbi expulsionem nequaquam temere esse sperandam: Cum, e contrario, uno solummodo symptomate malignioris naturae pollente, spes nos saepe fallat, et funestus morbi exitus multoties consequatur.



## M E T H O D U S M E D E N D I.

Ad partem totius opusculi maximi momenti et maxime necessariam tandem pervenimus, ordinem, scilicet, et methodum morbum tractandi. Sed, in ipso exordio monere piget, nec assiduam peritorum diligentiam huic malo certa hæctenus remedia reperisse, quæ a scopo interdum non aberrant, nec physiologos aut pathologos canceri naturam satis explorasse, ut horum explicationes univèrsim placeant.

Itaque, vix sperandum est, indicationes medendi nos posse ad certum ordinem revocare, aut in partes, ad systema pertinentes, apte digerere; multo minus, hoc factò, remedia unicuique indicationi propria et convenientia præscribere. Quoad primum, igitur, nostra in pathologiam disceptatione, ut præcipuo fundamento, nitimur; in posteriore vero ea sequemur, quæ experientia et commendatione peritorum maxime probantur.

Tractandi methodus, ut manifestum est, hisce duobus capitibus continetur, nempe, ut morbus

F vel



vel penitus expellatur, vel saltem ut quadantenus lenior ac mitior reddatur.

Ubi universalem cancri expulsionem tentamus, ad hunc finem duae se indicationes offerunt, viz.

*1mo*, Partes morbidas ad firmam et sanam conditionem restituere; si hoc fieri nequit, tunc

*2do*, Partes ita affectas funditus delere.

Tantummodo scirrho incipiente prima indicatio locum obtinet, ut feliciter eveniat medelae applicatio. Et hic, si supponamus fluidorum commorationem oriri ab atonia et debilitate vasorum glandulae affectae, curandum est imprimis horum vires et actionem instaurare, quo stagnans fluidum in propria receptacula transmitti possit.

Remedia huic fini convenientia, vel e fossilium vel regno vegetabilium derivantur.

Prioris generis, quod maxime obstructionibus obstitit, et apud medicos praecipue est in usu, mercurius habetur. Hocce medicamentum summa vi stimulante praeditum esse, ex purgantibus, ac ejus emeticis effectibus, recte colligitur. Eodem, ut nobis visum est, vel pari modo in glandulas etiam operatur. Nam in gyrum sanguinis introfusceptus mercurius exiguas glandularum arterias incitat et stimulat, quo stagnantis fluidi motus acceleratur. Qua de causa in scirrho

rho



rho primum incipiente mercurium haud parum conducere, fatis est manifestum. Contra vero, ubi glandula in massam inorganicam concrefcens nil vel parum fluidi in se contineat, sed unicus solidi corporis instar se habeat; hoc, inquam, in casu mercurius intromissus, excitata actione vaporum glandularum circumjacentium, ipsum cancerum, cui mederi destinatur, poterit inducere. Ad usum internum formula fortasse in pharmacopoeia Edinburgena, qua componuntur pilulae mercuriales, caeteris est praefenda; vel, si pro cathartico adhibere velimus, ejus loco calomel recte substituitur. Dosis varianda est pro aegri aetate, sexu, et temperamento corporis. In unguenti quoque forma adhiberi interdum potest, dummodo pars affecta inde non irritetur.

Alterum e mineralibus remedium ab auctore Gallico\* multum effertur, internus, scilicet, et externus arsenicæ usus; cujus brevis descriptio apud Commentaria Medica Edinburgena videri potest †. Haud alienum erit, hoc in loco, ponderum et mensurarum varietatem apud Gallos observare, ut haec a nostris differant, quod in Commentariis praetermissum, in medicamento tanti discriminis,

\* Mons. le Febure.

† Vol. IV.



criminis, funesti erroris causa esse potest. Libra seu pinta apud Gallos continet uncias triginta duas; apud Britannos tantummodo uncias sedecem. Deinceps, quoad pondera; apud illos grana quatuor propemodum grana tria cum semisse apud hos adaequant; vel grana sex apud priores grana quinque cum Britannis aequiparant. Pro methodo h<sup>oc</sup> medicamentum componendi et administrandi, ad libellum ipsum hac de re in lucem editum, vel ad Commentaria Medica jam memorata, lector est remittendus. Non obstante vero ipsius auctoris commendatione, pauci hactenus, utcunque nobis sit compertum, novi hujusce medicamenti periculum facere ausi sunt: Egregius noster Professor Black me certiore fecit, in occulto mammae cancro se quondam hoc adhibuisse; sed, aegra febris hecticae symptomatibus correpta, conatu destitisse: Utrum hujus effectus arsenic<sup>um</sup> causa fuerit, an non, pro certo se haud statuisse fatebatur.

Hujus operandi modus non multum forsan distat a mercurio, cujus supra meminimus: Si vero secundos ediderit effectus, quorum auctor D. Febure fidem suadet, alia quadam vi, et ex alio principio, operari videtur, cum in submovendo

cancro



cancro etiam aperto efficacissima saepius fit reperta.

Ex vegetabilium regno multa ab auctoribus colliguntur medicamenta, quorum pauca hic subjiciemus.

Plerique jam norunt, cicutam pro remedio in hoc morbo praestantissimo magnifice praedicari a doctore Stork. Quantum vero a jaētatis laudibus, tam in Gallia quam apud nos, defecerit nemo est qui ignorat. Ne vero tanti viri famae detrahamus, fatemur sane cicutam huic morbo saepe prodesse. Quod vero nonnunquam nos fefellerit, id Doctor Cullenus multis causis tribuendum arbitratur, cum scilicet cancris applicetur, quorum causae ab hoc medicamento repelli nequeunt; cum hujus extractum male forsan praeparatum sit; cum in ejus usu satis diu non persistitur \*, &c. Subjicit etiam hic celeberrimus auctor, se felices hujus medicamenti effectus et vidisse, et testari posse; quibus et aliis quamplurimis prosperi effectus indiciis ad credendum ducemur, in quocunque cancro cujus causa est localis, vel etiam magis universalis, cicutam utiliter adhiberi posse.

Foliorum

\* Lectures on the Materia Medica.



Foliorum arefactorum pulvis extracto videtur anteferendus. Seminum quoque succus inspissatus, portione pulveris immixta, in pilulas compingi potest, quae ad quantitatem duarum vel etiam quatuor drachmarum indies administrari possunt, adhibita tamen cautione ut a parvis dosibus, tribus scilicet, vel quatuor granis, ratione aetatis aegri, primum incipiamus. Cum interno cicutae usu, fodus etiam et cataplasmata quam plurimum laudantur.

Hi cicutae secundi effectus per systema nervosum propagari videntur; nam interius sumpta raro notabilem in parte affecta mutationem producit, donec prius sensorium afficiat. Sed, cum hoc medicamentum et illud superius memoratum, utrumque celebretur in canceri curatione, etiam maxime ulcerosi et pessimae naturae, quis non merito suspicetur, ab alia quadam causa hoc oriri, quam a sola stimulante vi quae in his medicamentis reperitur?

Solanum quoque in remediis contra carcinoma laudatur. Egregius Cullenus hujus quoque felicem effectum se testatur vidisse\*; cujus operandi modus idem videtur esse ac in caeteris quae jam notavimus.

Si

\* Ibid.



Si quae sint interna medicamenta, quibus fidere licet, profecto sunt eae, quae jam diximus: Et, si primo spei nostrae non respondeant, nec aegri casum mutant, haud idcirco desperandum est, sed in iisdem medicamentis diutius persistendum.

In Commentariis Medicis casum legimus, quo, ex repentino et improvise fulgure, tumor in pectore scirrhus evanuit: Qua igitur fiducia, in similis naturae casibus, electricitatis vim experire licebit?

Secunda nostra indicatio est exterminare tumorem.

Ingeniosus et doctissimus vir Doctor Alexander Monro, qui nonnullis abhinc annis anatomiam in academia Edinburgena professus est, quaestionem instituit, An tuto liceat carcinomata penitus excindere et delere \*? Sed quae hac de re differuit, nos ab hoc tentamine omnino absterrent. Le Dran, Sharp, et nonnulli alii recentiores chirurgi in eadem videntur sententia: Sed his opponamus celeberrimorum opiniones viro-  
rum, necnon nostri egregii Monro, et innumeros fere casus a Domino Hill, chirurgo celeberrimo, relatos. Horum uterque, seposito pe-  
riculo

\* Med. Essays, vol. 5



riculo quod hanc operationem comitatur, et collato numero eorum, qui post operationem relapsi sunt, cum iis qui convaluerunt, operationi omnino favent.

Nonnulla autem a perito medico et chirurgo attente consideranda sunt, priusquam operatio tuto suscipi possit; quorum praecipua sunt tumoris status, corporis habitus, causae unde vitium primum oriebatur, et vitae stadium, quo aegrum primo aggressum est.

Si tumor in superficie positus sit, et undique circummoveri possit; si virulentae materiae in systema absorptae nullum sit indicium, etiam cancro ulcerato; si hujus causae locales fuerint, vel etiam magis generales, dummodo systema aliter vigeat ac valeat, nec aeger multum aetate provectus; hoc, inquam, in casu, et ratio et experientia operationem suadent, si aut aegri sanitatem, aut saltem doloris levamen, moliamur. Nostrum non est normam praescribere quam in hac operatione chirurgi persequantur, cum ad eos ipsos hoc spectet; monendum tamen est, quod, caeteris paribus, mitis coeli temperies eligenda sit; et quod, post operationem peractam, antiphlogistico regimini aegro adstricto, fonticuli instituantur, et nonnulla horum, quae de modo palliandi mox tradituri sumus, adhibeantur, ut a morbi recurso melius caveatur.

Praeter



Praeter scalpelli usum, ut partes morbidae diverso modo exsecentur, a multis suadetur causticorum et ipsius cauterij applicatio. Ubi nonnullae partes morbidae cultellum eluserint, haec praxis utiliter adhibeatur; sed ad ingentem tumorem delendum ab ipso principio, nemo est artis peritus qui prudenter haec suadeat. Caustici emplastri, quo utebatur, et quod adhuc usurpat quidam Plunket in Hibernia degens, arsenica<sup>um</sup> basis esse creditur: In paucis admodum casibus feliciter evenit; sed hic tumorem exiguum esse oportet, in ipsa superficie extantem, et ab amplioribus vasis sanguiferis ac nervis longe distantem. Alii sunt histriones in eodem regno, qui morbo tam maligno et funesto mederi conantur remediis his forsan similibus: Ad tales empiricos miseri aegrotantes sese frequenter recipiunt; qui tutam, citam, ac morbi medelam jucundam, cujus causam et naturam penitus ignorant, summa fiducia polliceri non dubitant.

Si vero parti cuidam interiori morbus altius infederit, et remedia interna parum aegro profuerint; si pro unico tumore in diversis locis plures appareant; si aegri conditio et corporis habitus in vitium multum sit prolapsus; si jam senuerit et acerbam operationem detrectet, ultra ni-



hil reliqui est, ut morbum obtegere, et quam maxime mitem reddere, conemur.

Quo facilius hac in parte dirigamur, tria confilia nobis proponenda sunt :

1<sup>mo</sup>, Ut tumoris augescenti moli occurratur.

2<sup>do</sup>, Ut acris secretionis status in ulcere immutetur.

3<sup>tio</sup>, Ut symptomatibus novis et molestis, veluti dolori et insomnio, quam sedulo obsistatur.

Tumoris incrementum praevertitur, quantitatem et impetum fluidorum, sive per universum corporis systema, sive, quod maximum est, in ipsa parte laborante, minuendo.

Ad hunc finem sanguinis detractio, cathartica, et fonticuli, quam maxime conducunt.

Venaesectio, universum corporis systema afficiendo, unamquamque systematis partem etiam afficere necesse est, et hinc in glandulas ipsas venaesectionis beneficium derivatur : Siquidem autem a venaesectioe saepius repetita exoritur dispositio ad plethoram, sanguinis detractio per cucurbitulas aut hirudines juxta partem morbidam collocandas, anteferenda alteri videtur.

Cathartica purgantia, ductum intestinorum evacuantia, magnam fluidorum partem in has regiones derivant, ut in hydrope satis innotescit :

Praeterea,



Praeterea, est exinanitionis genus huic morbo approprie accommodatum, cum plethoram minus inducat. Sed laxantibus lenioris naturae utendum est, ut sale polychresto, Glauberi, rheo, fena, tamarindis, et similibus, quae leniori stimulo et irritatione partis operantur.

Fonticuli, in regione partis affectae appositi, fluidorum egressum promovendo, et idcirco quantitatem et impetum sanguinis minuendo, huic morbo congruere jure creduntur, et multoties utiles reperti sunt.

Secundus tumoris crescentis cohibendi modus est, cauta earum causarum fuga, quae primam huic occasionem praebuerunt. Ab externis injuriis partem tueri multum proderit, panno scilicet laneo tumorem obtegendo, emplastris emollientibus utendo, pectoris compressionem, per ligamenta quibus feminae vulgo utuntur, vitando. Si aeger sodalitati et hilaritati indulgeat, quibus mens a curis et aegritudine avocatur, hoc quoque multum profuturum arbitramur.

Secundus de palliando morbo articulus ipsum ulcus spectat. Laudabilis puris effectio imprimis spectanda est; ad quem finem Peruviani corticis usus, in aliorum ulcerum suppuratione adeo beneficus, hic quoque haud temere probatur.

Ad



Ad ulcus immunditiis expurgandum, nil hactenus repertum magis efficax quam cataplasmata e radicibus dauci hortensis confecta, quae singulis diebus saepius sunt renovanda. Causa hujus secundi effectus, ut verisimile est, aëri debetur fixo, qui inter fermentandum a pultibus separatus materiae vicem ab ipsa ulcere promanantis supplet. Hinc etiam cataplasmata e farina triticea, aqua, et cerevisiae spuma confecta, eadem de causa probantur.

Consilium tertium et ultimum est, ut novis symptomatibus sedulo occurratur. Tanta est doloris vehementia ut ad eum levandum totum medici studium et diligentia desiderentur. Ad hunc finem plumbi praeparationes, in statu solutionis, parti dolenti sunt admovendae; et, ob vim hujus metalli sedantem, ad dolorem levandum commode adhiberi possit. Ex eodem fortasse principio, aqua lauro distillata nonnullum dolori breve subsidium, ut ex propria experientia constat, non raro attulit.

Non modo ad doloris vehementiam leniendam, sed ad fomnum conciliandum, ad anodyna confugiendum est. Sed, quo diutius nosmet ab his contineamus, eo melius. Nam, etsi primum votis nostris respondere soleant, mox temere frequentiori



quentiori usu vires suas deperdunt; et systemati irritamen admoventia, morbum ad ultimum suum stadium maxime festinant.

His ex medicinae officina depromptis, nonnihil de regimine quam breviter adjiciemus, quod procul dubio methodo antiphlogistica constare debet. Diaeta potissimum e vegetantium genere eligatur oportet: Fructus acescentes suis anni tempestatibus libere et copiose adhibeantur: Potus ex aqua, vini exigua portione immixta, fiat: Tam in cibo quam in potu modus parcus et justum moderamen iterum atque iterum aegro suadeatur. Hic rursus mentio fiat moderati corporis exercitii, sodalitiis, hilaritatis, et caeterorum omnium, quae a nimia cura et anxietate animum revocare possunt.

Haec tandem sunt, quae de natura et medela cancri proponenda judicavi; quae, si manca et imperfecta sint, si erroribus fortasse scateant, hoc ipsum egomet sentio, et magis me angit quam benevolos judices, quorum indulgentia fretus, aequae ac pensae difficultate, spero me veniam ac gratiam apud viros, qui humani ingenii imbecillitatem sentiunt, impetraturum.

Eruditissimis hujus academiae Professoribus restat, ut gratias ex animo agam, qui doctissimis



tissimis praeceptis, et saepius repetitis monitis, semper eruditioni nostrae, quantulacumque sit, consuluerunt, et futurae nostrae felicitatis in praxi medicinae exercenda fundamenta statuerunt. Egregiis autem viris, Culleno et Monroio, necnon Andreae Duncan, me imprimis devinctum esse, lubentissime agnosco; quorum beneficia, et publica et privata, ad vitae finem meminisse juvabit.

F I N I S.







